

DE LACTIS
E SCROTO SECRETIONE
ANOMALA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHYSIOLOGICO-PATHOLOGICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA

UNIVERSITATE LITTERARIA TURICENSI,

UT SUMMI

IN MEDICINA CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA
HONORES RITE SIBI CONCEDANTUR,

DIE XXIII. OCTOBRIS ANN. MDCCCXXXIII

PUBLICICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

FRANCISCUS KOLLER

MONACHO-BAVARIENSIS.

TURICI,

TYPIS SCHULTESSIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, GENEROSISSIMO,
EXPERIENTISSIMO

LOCHER - ZWINGLI

MEDICIN. CHIRURG. ET ART. OBSTETRIC. DOCTORI,
IN UNIVERSITATE LITTERAR. TURICENSI CHIRURGIAE, ATQUE
CLINIC. CHIRURGIC PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO.

SODALI,

PRAECEPTORI, FAUTORI

1790

INSTITUTIONS, GENESESSING
EXPERIMENTISSING

LOCH... ANGIL...
NEC NON

RESEARCH...
UNIVERSITY...
STUDY...
RESEARCH...

1790

RESEARCH...
STUDY...

COLLEGAE ATQUE AMICO DILECTISSIMO

H. ULRICO TOGGENBURG

DOCTORI MEDICINAE, GHIRURGIAE, ARTISQUE
OBSTETRICIAE

OB MAGNA DE SE MERITA

HASCE LITTERARUM PRIMITIAS

D. D. D.

COLLEGE OF THE CITY OF NEW YORK

H. HENRY HOGGESS

DOCTOR OF MEDICINE, SURGERY, AND OBSTETRICS

OF THE CITY OF NEW YORK

AUCTOR.

Scroti structuram ad innumerabiles eosque varios morbos et organicas dēgenerationes esse proclivem, nec raro ab iis affici, frequentes et valde memorabiles clarissimorum fideque dignissimorum virorum observationes satis nobis comprobant.

Inter multas illas abnormes atque vitiosas metamorphoses, quas conscriptas videmus, ea praecipue, qua scrotum organon fit lac secernens, attentione nostra atque admiratione digna est. Qui quidem scroti status inter hujus partis metamorphoses vitiosas longe rarissimas referendus est. Quoad enim medicinae literaturam perlustravi, nihil de ea re cognovi, nisi quod solus Doctor Müller*) de simili casu descripsit. Attamen in hoc casu liquor e scroto secretus lacti quodammodo similis fuit, neque lac verum.

*) Huf. Journ. d. p. H. 54. B. 1822.

Hoc tempore autem in hujus urbis nosocomeo homo curatur, qui ex amplo suo seroto interdum permultum lac, sponte effluens amittit. In quo quidem nequaquam de liquore, lacti tantum simili, agi, chemicis periculis certum satis ac dilucidum factum est.

Cujus morbi, tam rari quam memorabilis, historia relata, judicium nostrum de eo proponemus.

H. V. viginti unum annos natus, e vico prope Tigurum sito, sanis parentibus ortus, valido corpore et bona valetudine, prioribus annis juvenilibus plane valebat, solitis puerilibus morbis facile superatis. Tres ejus fratres et soror continua valetudine, firmitate et hilaritate gaudent. Ipse plerumque laboribus rusticis erat occupatus. Sed jamjam a quindecimo aetatis anno nunquam satis bene valebat. Molestiae, quae eum excruciant, hocce modo procedebant: repente languore, cibi fastidio, injucundo et amaro gustu, capitisque doloribus correptus est, mox frigore, urente calore, cutis siccitate et vehemente siti subsequentibus. Quem statim, tres dies durantem, in femore et crure dextri lateris eruptio exanthematis excepit, quae rubris et circumscriptis maculis apparens, urentem cutis dolorem procreabat. Quae quidem maculae supra cutem paululum elevatae et partim satis diffusae erant. Mox vero feбри una cum exanthemate extincta, aegrotus in pede dextri lateris tumorem gigni animadvertit, qui paulatim totum femur et crus corripiebat adeoque accrescebat, ut hae partes dimidio fere majores, quam in statu sano, evaderent. Externum tegumentum pallide nitebat, externae digitorum impressioni facile

cēdebat, fossam relinquens; dolore quidem et calore aeger liberatus, sed membri pondere gravatus erat.

Qui ingens tumor ab hoc inde tempore permansit; ita tamen, ut neque corporis incrementum, neque universam bonam valetudinem valde tubaret et impediret. Interdum ille tumor duobus parvis foraminibus, quae cutis pori dilatati esse videntur, statim infra ligamentum Pupartii in interiore femoris latere sponte diruptus est; tum ex illis foraminibus nunc major, nunc minor candidi, tenacis, pellucidi, aquosi, nonnunquam etiam magis turbidi liquoris copia profusa est. Jam, vehemente tumore paululum remisso, in femore interdum acuta exanthematis eruptio, supra descripta, apparuit. Praeterea per unum et dimidium annum aeger ulcere gravatus est, quod, sponte in dextro crure ortum, multum liquoris corrosivi profundeabat. Ita tres anni praeterlapsi sunt, multis medicaminibus et medicorum consiliis frustra adhibitis. Jam ad mala praesentia novum accessit. Aegrotus enim ad octodecimum usque aetatis annum minima habebat membra virilia; testes minutissimae erant; scrotum tensum, contractum, rugosum; penis brevis et tenuis; erectionibus nunquam laborabat. Illo autem aetatis anno scrotum et penis ad monstrosam usque magnitudinem repente accrescere coeperunt. Praesertim illud magnum erat et magnopere intensum, simul aeger aliquamdiu staret et simul laboraret. Mox in externo ejus cute parvae vesiculae tantae, quantae lentes, conspectae sunt, flavescentes, in dextro latere magis condensatae, e quibus postremo diruptis magna lactei liquoris copia promanabat. Dehinc e poris in femore patentibus simul hujus liquoris nonnihil profuebat, praecipue tum, quum scrotum premeretur.

Qui quidem liquor plerumque veri lactis, nonnunquam tamen, sicuti jam supra dictum est, seri lactis speciem praebuit.

Quamquam hic lactis profluxus non erat continuus, tamen altera, vel tertia, vel quarta quaque hebdomade tumor scroti augescebat; simul dolores in regione sacrali et inguinali exstiterant; levis et repentinus scroti dolor pungens et, vesiculis amplioribus factis, stando vel meando profluxus vel major vel minor repeti solebat; copia secreti lactis nunc circiter dimidia, nunc tota mensura erat.

Ulcus cruris quidem sanatum et tumor totius membri inde a novo scroti statu valde minutus erat.

Tum aegrotus vicesimo tertio die mensis Augusti hujus anni in nosocomium nostrum deportatus est, ubi, per aliquod tempus observatus et curatus, in hocce statu versatur:

Scrotum, valde tumefactum et molle, his quidem locis quasi pinguedine completum esse videtur, illis quasi laxa muliebris mamma tactui offertur. Quodsi adeo premitur, ut dolores haud ita magni gignantur, tenues et imperfectae fossulae resident. Ipsa quoque cutis penem obtegens, magnopere tumefacta est, praecipuum incompletam phimosis conformat; color cutis, has partes circumdantis, profundior est, quam in statu normali esse solet. Corpora cavernosa penis parva sunt, brevia, et versus symphysin ossium pubis retracta. Testes ipsae parvulae, versus anulum abdominalem retractae.

Caetera corporis structura ubi respicitur, larynx quidem minus prominet, similior muliebri, sed muliebri voce carens, barba et pubes rarissima et tenuis-

sima, femur et crus dextro latere parvo tantum crassius est, quam latere sinistro.

Primis statim diebus, quibus aeger hae in urbe degebat, omnia illa symptomata conspecta sunt, quae liquoris profluxui antecedere solebant. Plus tribus partibus mensurae lactei liquoris profluxit —. Trigesimo mensis Augusti die horripilatio per totam columnam vertebralem, oscitatio, tum vehemens calor, sitis, amarus gustus, linguae superficies impura, appetitus inopia, tensio et gravedo in regione frontali, levis vertigo, vehemens in dextro latere uredo, acceleratus et plenus pulsus extiterant. Quae symptomata cuncta, a nocte trigesimi Augusti diei usque ad diem sequentem pergentia, nocte omnem aegroto somnum demebant, donec tandem exanthema in femore erumpebat, quo jam saepius aeger fuerat affectus. Quod quidem exanthema tale extiterat, quale jam supra descripsimus. Quare ad urticariam illud pertinere nobis persuasum habemus.

Undecimo Septembris die rursus tertia mensurae pars liquoris effluxit, qui quidem, non amplius tam crassus, albus et dulcis, quam prior, seminis virilis odorem emittebat. Tribus diebus post iterum febris affectus est, eo tamen discrimine, quod nunc simul acutior per scrotum dolor et calor oboriebatur, vesiculae in cute augescebant, cutisque ipsa rubescebat. Tum urticaria in femore rediit, quae, postquam unum diem duraverat, paulatim evanuit. Postremo, exiccatis vesiculis, scroti cutis desquamata est. Dehinc per totum Septembrem et Octobrem aeger, etsi severae diaetae adstrictus, valere perrexit; tumor scroti cutisque penem circumdantis manifeste diminutus est. Bis quidem illo mense profluxus e scroto redintegratus est,

sed copia liquoris nunc aquosi et turbidi fuit minima.

Caeterum hoc monendum esse videtur, aegrotum nulla prorsus symptomata praebere, quibus possit conjici, adesse inflammationem, vel suppurationem atque indurationem in pelvis organis. Tantum abest, ut hectica febris laboret, ut, nutritu et incremento bene procedente, potius pinguis sit. Quae quidem aegroti pinguedo eo magis mira videtur, quod periodica lactis excretio permagna est. — Ipse lactis profluxus, inter standum quam inter jacendum major, ligatura femoris et compressione in regione inquinali retineri nequit; contra pressione in scroto largius procreatur — Stiptica et emolientia, prius diu adhibita, nihil valebant — Urinae secretio et excretio, sicuti etiam alvi excretio juste et bene procedit.

Quemadmodum igitur his cunctis symptomatibus de liquore, nonnisi lacti simili, e. gr. de lympha, vel de alia quadam hujus generis materia agi negatur, ita lac verum adesse physica, microscopica et chemica disquisitione manifestissime comprobatur. Jam de his disquisitionibus deinceps verba faciemus.

Lac primis statim, quos aeger in nosocomeo transigebat, diebus in vase vitreo collectum, fuit albidum, haud pellucidum, calidum, fluidum, semen olens, salem sapiens, ita tamen, ut ne dulcis quidem gustus lateret. Tempore aliquo praeterlapso in duas partes secretum est — Altera pars, in fundo vasis vitrei, quo colligebatur, residens, quoad speciem externam valde similis fuit albumini semicoagulato, praeterquam quod erat subcana — Altera pars, minor, quae fluida manebat, lactis minus coagulati, magis subcanei quam albi conspectum retinuit.

Microscopica partis non coagulatae inspectio aperuit globulos sphaeroidae formae, inaequali amplitudine, omnino autem minores iis, qui in capreae et asinae lacte, eodem tempore inspecto, inveniebantur. Quorum globulorum circiter sexaginta millia digiti quadrati spatium complexum est. Globuli non pellucidi fuere, sicuti in aliis lactis generibus. Trigesima fere pars globulorum lacteorum ea fuit magnitudine, qua in lacte capreae esse solent.

Lac hoc modo inspectum viro clarissimo, Loewig, Chemiae Professori ord. publ. traditum est, qui hanc chemicae de eo inspectionis rationem iniit.

Specificum lactis pondus fuit in temperatura + 15° C. 1,0176. — Ubi lac aliquamdiu immotum steterat, in superficie flos collectus est ex albo flavescens. Jam si in temperatura, + 30° non superante, vaporabatur, in superficie flava tunica est conformata, qua demta nova rursus evasit. In temperatura + 60—70° coagulatum est, tum quoque, quum, recens profluxum, calefieret — Acidum, ut in frigore coagularetur, effecit, nequaquam vero aether et alcohol. Post aliquod tempus alba massa resedit, quoad externam speciem similis albumini recens coagulato, quae autem contendo et miscendo rursus plane fluida reddebatur. Lac neque acidam neque alcalicam reactionem prodidit. Quod si destillabatur, liquor volatilis destillatus apparuit colore egens, foetens, acidam vel alcalicam reactione carens. Centum partes lactis 8,699 consistentes, in + 105—106° siccitas particulas continuerunt.

1.

277,260 gramma lactis tamdiu renovatis aetheris partibus quassando commixta sunt, donec nihil aetheris post evaporationem residuum erat. Deinde aether,

qui colorem subflavum receperat, ita, ut unciae paucae relinquerentur, destillatus et pars, in retorto residua, in balneo Mariae plane siccata est. 4,570 gr. pinguedinis recepta sunt, quae quidem pinguedo subflavo erat colore et consistentia liquefacti butyri et singulari odore semineo. Liquefacta clara fit, pellucida et non nisi post majus temporis intervallum iterum solida redditur. Fervente spiritu vini difficillime solvitur. Ubi refrigerata est spirituosa solutio, ab initio quidem alba pinguedo secernitur, tam solida, quam sebum; tum guttae oleaceae sequuntur, quae vel refrigeratae fluidam formam retinent. Si alcoholica solutio evaporatur, fluida pinguedo restat, odore insuavi, butyri acido simili — Igitur e 100 partibus lactis 1,649 butyri recipimus.

2.

Lac, aethere a butyro liberatum, haud diutius fuit impellucidum, sed liquidissimum, aquosum et flavescens. Mediocri calore aether, adhuc immixtus, remotus, sed lac non coagulatum est, antequam magis calefiebat. Tum lac cum diluto acido sulphurico commixtum et album sedimentum largum et copiosum, quod inde conciliabatur, in filtro pluries ablutum est. Residuum aqua barytaque carbonica permixtum et a baryta sulphurica filtro separatum est, filtratum flavo colore fuit, inter vaporandum lac oluit et tunica superfectum erat. Filtrato siccato, relicta sunt 5,631 gr. casei; igitur a 100 partibus lactis 2,031 recipimus — Casei materia, subflava, facile conteri et plane aqua solvi potest; caeterum sicuti solida casei materia se habet.

3.

231,050 gr. recentis lactis labe prorsus coagulata sunt, aquosa pars filtrata et vaporata et residuum per

aliquod tempus in temperatura 100° repositum est. Pars illa pependit 11,648 gr., ita ut e 100 partibus lactis recipiantur 4,609.

Residuum alcoholo 0,886 spec. pond. digestum (digerirt), tum spirituosa solutio vaporata est. Receptum alcoholicum extractum pependit 2,486 gr.; igitur 100 partes lactis continent 0,947.

Alcoholicum extractum aqua solutum est; aquosa solutio salsum gustum praebuit, fuitque plane neutralis. Vaporata deinde et residuum candefactum est. Massa inter candescendum nigrefacta, partibus organicis prorsus deletis, e cano album cinerem reliquit, qui cinis, exceptis aliquot floccis, plane aqua solutus est et carbonico natro, Chlorkalio, maxima ex parte autem Chlornatrio constitit — Quia alcoholicum extractum nullam reactionem alcalicam prodebat, natrum carbonicum e natro lactico, quod antea adfuit, ortum esse satis liquet. Partes alcoholo haud resolubiles, quarum copia 9,452 erat, saccharum lactis, quod ex aquosa solutione sub granosorum crystallo- rum forma prodibat, praeterea parvas Chlornatrii particulas, Kali sulphuricum et Natrum phosphoricum continnerunt. — Postquam lactis saccharum candescendo deletum erat, restiterunt 2,173 gr. cineris. Si lactis sacchari amissio respicitur, supra dicta 231,050 gr. lactis continent 7,279 gr. sacchari lactis, igitur 100 partes lactis continent 3,150.

4.

390 gr. lactis, quod exsiccabatur, vaporata sunt et residuum candefactum. Restiterunt 3,429 cineris, qui consistebat

1) e partibus aqua solubilibus	2,725
2) e partibus aqua insolubilibus	0,704
	<hr/>
	3,429

A.

Partium aqua solubilium disquisitio.

a.

1,03 gr. in parvum vitreum cylindrum, ab altero fine clausum et conflatum, indita sunt, isque cylindrus in lagena, in qua inerat acidum nitricum dilutum, ita positus est, ut acidum ab eo, quod in cylindro vitreo erat inclusum, non contingeretur. Lagena, aëri inaccessa, cum parva fistula, Chlorcalcium continente, conjuncta et totus apparatus ponderatus est; tum lagenae inclinatione cylindrus vitreus inversus et ita acidum nitricum cum eo, quod in cylindro vitreo erat inclusum, permixtum est. Postquam desierat gasis formatio, lagena patefacta et paulo post una cum cylindro Chlorcalcium continente conclusa et ex pondere, quod nunc supererat, acidi carbonici copia destinata est. Ponderis amissio fuit 0,058 gr.; quod si acidum carbonicum cum omnibus partibus aqua solubilibus confertur, restant 0,120.

b.

Solutio acida nitrica, in lagena a, contenta, argento nitrico praecipitata est. Chlorargentum, quod inde parabatur, liquefactum pependit 1,65 gr., quod pondus respondet 0,422 gr. Chlori, itaque omnes partes aqua solubiles 0,856 gr. Chlori continent.

c.

E liquore a Chlorargento in b, defiltrato acidum sulphuricum Chlorbaryo praecipitatum est; Baryta sul-

phurica, inde parata, aqua, acidum muriaticum continente, diluta est; quod residuum erat, pependit 0,505 gr., quae respondent 0,273 acidi sulphurici, ita ut in cunctis solubilibus salibus inessent 0,354 acidi sulphurici.

d.

1,064 gr. salium aqua solubiliu aqua soluta sunt; aquosa solutio plumbo acetico praecipitata est. Liqueor filtratus ammoniaco carbonico commixtus est, quo oxydum plumbi adhuc in liquore reliquum et solutum praecipitaretur. Totus liqueor filtro a sedimento purgatus et, donec siccus erat, vaporatus, quod residuum, candefactum est. Candefacta massa acido muriatico saturata est, ita ut acidum praevaleret, indeque recepta acida solutio muriatica vaporata, sal siccus in vase platineo ad mediocrem usque ardorem candefactus et ponderatus est; pondus fuit 0,998 gr.; itaque in omnibus salibus aqua solubilibus insunt 1,967.

Una parati salis pars cum tribus Chlorplatinnatrii partibus commixta est; commixtio, paucissima aqua soluta, mediocri calore, donec sicebatur, vaporata, siccum residuum alcoholo diluto tractatum est; quo facto Chlornatrium et abunde additum Chlorplatinnatrium solvebatur. Effectum inde Chlorplatinkalium alcoholo satis dilutum est; mediocri calore siccatum pependit 0,834 gr., quae respondent 0,463 gr. Kali; igitur omnes aqua solubiles partes 0,322 gr. Kali, vel 0,508 gr. Chlorkali continent, quod pondus si a communi pondere Chlorkali et Chlornatrii detrahitur, 4,468 gr. Chlornatrii, vel 0,782 gr. Natri restant.

Acidi phosphorici copia cognita est ex amisso, dum Chlorum omne pro Chlornatrio habebatur.

Partes igitur aqua solubiles sunt:

in 390 part. lact.:	in 400 part. lact.:
Chlornatrii . . . 1,089	0,278
Natri carbonici . . . 0,290	0,074
Kali sulphurici . . . 0,595	0,151
Natri sulphurici . . . 0,144	0,037
Natri phosphorici . . . 0,607	0,155
2,725	0,695

B.

Partium aqua insolubilium disquisitio.

a.

Partes aqua insolubiles acido muriatico solutae sunt, et acidi carbonici copia ratione supra dicta statuta est, quae erat 0,065 gr.

b.

Solutio acida muriatica a, ammoniaco saturata, tum alcoholo commixta est; acido sulphurico calcaria praecipitata est; calcaria sulphurica pependit 0,587 gr., quae respondent 0,241 gr. calcariae.

c.

Solutio in b, a calcaria liberata et tamdiu tepefacta est, donec omne alcohol evaporatum erat. Magnesia natro phosphorico praecipitata, sal duplicatum, inde effectum, candefactum et ex ejus pondere Magnesia copia computata est, quae erat 0,183 gr.

d.

Acidum phosphoricum quanti esset, ex amisso apparuit et aestimatum est 0,215 gr.

Lac igitur partes aqua insolubiles continet :	
in 390 part.	in 100 part.
Calcariae carbonicae	0,150 0,038
Calcariae phosphor.	0,371 0,089
Magnesia	0,183 0,047
	<hr/>
	0,704 0,172

Universalis conspectus.

100 partes lactis continent.

corpus foetens aethereum

Butyri	{ Elain	1,619
	{ Stiarin	
	{ Butyrin?	
Casei		2,031
Sacchari lactis		3,150
Chlornatrii		0,278
Natri carb. (Natr. lact.)		0,074
Kali sulph.		0,151
Natri sulph.		0,037
Natri phosph.		0,155
Calcar. carbon.		0,038
Magnes.		0,047
Calc. phosph.		0,089
		<hr/>
		7,699
amissi		1,000
		<hr/>
		8,699

Illum igitur liquorem verum lac esse, satis demonstratum esse arbitror; sola, quibus hoc lactis genus a caeteris differt, discrimina haec sunt:

- a) quod multos sales aqua solubiles, praesertim multum Chlornatrii continet;

- b) quod ei acidum lacticum deest;
- c) quod nihilominus coagulatur;
- d) quod pondus specificè levius habet;
- e) quod odorem semini similem spargit;
- f) quod microscopica inspectio globulos minores eosque impellucidos aperit.

Gravissima sane et memoratu dignissima in illo morbo est lactis secretio, quippe quae cum muliebri habitu, cum manca et imperfecta testium structura et cum morbosa femoris affectione intime cohaereat. Illud vero lac quum neque e cavo abdominis, neque a testiculis profluere possit, ex quo alio loco proficisci verisimile est, quam ex illo lactis glandulae simili corpore, quod in scroto conspicitur? Accedit, quod id ipsum corpus non est separata pinguedo; nam quomodo tandem e pinguedine lac secerni possit? Nonne contra quotidie videmus, in mammis muliebribus, nimis pinguibus, lactis secretionem fieri languidam, vel plane cessare?

Lac vero e sanguine secerni certissimum est; igitur in illo aegroto singulari vasorum constitutione secretio efficitur —. Res attentione nostra dignissima et quoad genesin et therapiam hujus morbi gravissima est morbosa affectio, quae in femore et crure dextri lateris conspicitur. Quae quidem affectio acuto exanthemate inceptit, quod simillimum fere est urticariae. Quo exanthemate extincto oedematicus partium modo dictarum tumor extitit qui chronice continuo perdurabat; ad quem tumorem insuper accessit ulcus in crure, unum et dimidium annum patens et liquorem corrosivum evacuans. Eruptio unacum praeterunte febrili

unoquoque anno saepius rediit, semper eodem modo eodemque loco, neque magna incrementi totius corporis et universalis valetudinis impedimenta reliquit — Monendum denique esse censeo, haec symptomata et diu quidem jam ante ortum lactis secretionis et excretionis e seroto extitisse, et maxima ex parte postea quoque permansisse. Quae symptomata morbum in cute et textu celluloso dextri fermoris et cruris inesse nobis persuadent, qui quidem morbus chronicum est exanthema — Si cum hoc casu ea omnia conferruntur, quae chronicis exanthematibus occurrunt, quoad diagnosin nihil aliud, nisi Leprae morbum invenimus, sed modo incipientem, ita ut desorganisatio cutis et textus cellulosi nondum horribilem gradum sit assecuta.

In vicina Italia superiore Pellagram quam dicunt, et in Oriente Leporam frequenter a primordio suo saepe per aliquot annos eodem modo prodire et procedere scimus. Extitit enim periodice febris gastrica et erysipelas, paulatim tumor quorundam cutis locorum, quae omnia postquam aliquamdiu perduraverunt, horribiles deformationes unacum universalis valetudinis amissione sequuntur.

Quas quidem leprosas formas in ipsa quoque Helvetia inveniri, jam aliquoties me ipsum experientia docuit. In nostro enim hospitio publico gratuito hujus generis tres versantur aegroti, in quibus morbus admodum evolutus est.

Si indolem horum morborum respicimus, aegrotum parentibus sanis genitum esse, fratres et sororem sanos habuisse, annosque pueriles sanum transegisse novimus, ita ut omnino nihil in his rebus sit, quod ad indolem illorum morborum manifeste facere et conferre potuerit. Jam vero multi sunt morbi, ad quorum ortum nulla prorsus dispositione est opus,

vel quorum dispositio obscura est. Inter quos morbos Leprae etiam variae formae sunt referendae. Ita in praeclaro opere Larrei, quo de morbis inter expeditionem Napoleonis in Aegyptum auctor disserit, viros cujusque aetatis, cujusque constitutionis, cujusque denique temperamenti a Leprae morbis affectos esse legimus. Quinto ejusdem operis volumine unam praecipue formam Larreius commemorat, quae quoad nostrum casum gravissima est. Fortissimos enim, dicit, et robustissimos quosque viros optimae aetatis, appetitu veneris abundantes, post indispositionem brevem plerumque potestatem virilem amisserunt, interdum in crure ulcera proruperunt, scrotum majus et crassius factum, et quasi pinguedine completum est; ipsi, simul ignavi facti, in omnibus, quae agerent muliebrem naturam prodiderunt, unde Larreius illum morbum *femineum* appellavit. Quum plerumque Lepra vel Elephantiasis evolveretur, haec pro forma primaria habenda esse videtur.

Si nostrum aegrotum respicimus, equidem aliquam Leprae formam eodem modo causam existimaverim, quae indolem habitus feminei et naturae femineae potissimum adjuverit et sustentaverit. Quod facilius eo ipso tempore fieri potuit, quo corpus juvenile ad perfectam evolutionem pervenire solet, scilicet pubertatis tempore. Quos Larreius observavit, milites fuerunt, omnesque jam plane adulti, ubi morbi vis in corporis incrementum et formam non satis manifesta esse poterat.

Prognosis illius morbi, quum aegrotus in nosocomium deportatus esset, admodum dubia constitui potuit. Quum enim malum jam multos deinceps annos perduraverit, jamque per totum organismum penetraverit, porro quum lactis secretionis, quae

seminis secernendi loco erat, et Leprae in femore observatae jam a multis medicis frustra tentata sit cura, nonnisi assidua et diligentissima cura morbum radicitus sublatum iri satis liquet. Quae quidem cura a doctissimo nostro atque sagacissimo Professore et Directore Schoenlein hoc modo inita est.

Aeger, in nosocomio receptus, per aliquot dies observatus, ordinariae diaetae adstrictus in lecto que versatus est. Vicesimo nono Augusti die datum ei est laxans e Pulv. rad. Jalap. Mercur. dulc. et Sapon. med. singulor. granis octo, et quidem in forma pilularum, quo duae tantum alvi excretionés effectae sunt. Altero die ob febrem, supra descriptam, medicamine caruit, ejusque loco mediocri venesectione instituta, diaetae severae alligatus est. Tum ultimo mensis Augusti die infus. Sennae comp. c. pulv. rad. Jalap. serup. duob. ei datum est, quod octo alvi excretiones et quidem copiosissimas efficiebat. Secundo Septembris die drach. una unguent. merc. duplicis infrictio in femore aegroti instituta est, quae quarto et septimo die huius mensis vicissim in crure et in femore repetiebatur.

Quibus paucis infrictionibus factis, tumor in dextro femore omnino evanuit. Eodem modo post hanc curam, quacum continua et severissima diaeta et quies in lecto conjunctae erant, crassitudinem et tumorem scroti sensim diminui animadversum est. Undecimo Septembris die iterum copia quaedam liquoris, lacti similis, profluxit, qui vero liquor multo aquosior erat, liquidior, magis flavus quam albus; nec tam acriter, quam prior, semen olebat, nec nisi tertiam ad summum partem copiae prius excretae efficiebat.

Jam quia post mercuriales frictiones, modo me-

moratas, morbus specificus mercurialis subsequabatur, frictiones usque ad defectum hujus morbi omissae sunt, earumque loco inde ab octavo Septembris die decoctum e rad. Sarsaparil et Quajae singular., unc. dimidia paratum quotidie praebitum est. Duodecimo Septembris die infus. Sennae comp., quod supra adhibitum erat, iterum praebito, et ita vehementi excretionem effecta, altero quoque die drachma dimidia unguent. mercur. simpl. in extremitatibus inferioribus inungi coepit. Quod per totum Septembrem continuatum est. Aeger interea, etsi severae diaetae adstrictus, bene valere perrexit; tumor scroti cutisque penem circumdantis manifeste diminutus est. Bis quidem hoc mense profluxus e scroto rediit, sed copia nunc aquosi et turbidi liquoris fuit minima.

Jam ubi illa abnormis in scroto sita glandula deleta erit, propositum est a nostro clarissimo Professore Schoenlein, secretionem seminis remediis adjuvare; quare aphrodisiaca praebebuntur.

Prosperimus successus, in prima statim curae parte summam movet spem, fore, ut aegrotus inita curae ratione tandem a molestissimo et atrocissimo, quo premitur, malo liberetur.

Scrotum semper quidem magnum et crassum mansurum esse, facile intelligitur, sed gestando suspensorio incommodum quodammodo removebitur.

I.

Omnes, qui vocantur animi morbi, nil nisi corporis morborum cujusquam status sunt effectus.

II.

Si omnia membra vehementer resoluta sunt, sanguinis detractio vel occidit vel liberat.

III.

Curatio arteriae vulneratae per ligaturam praeferranda est curationi per compressionem.

IV.

Haemorrhagiae acutae sunt beneficium naturae.

V.

Status gastricus secretis magis, quam ingestis adscribendus.

VI.

Marasmus senilis non est morbus.

VII.

Nulla sanatio datur in amputatione per primam intentionem.

VIII.

Vagina in partu minime passiva.

IX.

Compressio tumoris aneurismaticei rejicienda.

X.

Chemia diagnoseos et therapiae magna adjutrix.

XI.

Dispensatio medicamentorum medicis non oportet.

XII.

Nulla in Organismo reactio chemica.
